

Letter 478: 13 May 1532, Augsburg, Gereon [Sailer] to Capito

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 157, pp. 371–2.

Christum salutare nostrum. Literis tuis, doctissime idemque amicissime Capito, nihil potuit offerri dulcius. Puerum enim promissum mihi sistebant ingeniosissime, cuius presentia, donis et moribus candidis haud aliter atque Hyblaeo melle obtestatus sum. Commigrabit hodie ad aedes D. Ambrosii. Hactenus non potuit commode praefici pueris, quia Ioannes ille Argentoratensis aedes occuparet, invita etiam uxore d. Ambrosii, nam huius operam ad mensem conduximus, homo vagabundus est et plusquam conveniat huic aetati et eruditioni elatus. Bernardus ille meus totus iocundus est, et preter cetera dona decentem quandam habet simplicitatem, mirum in modum mihi accidentem. Huic non deero, perinde ut mihi deesse non vellem. Curabo inprimis ne tantum ingenium negligatur. Expensas fecit modicas, quas hac hebdomada per mercatores tibi numerari curabimus. Tibi aget et referet gracias innumeras uxor d. Ambrosii idem acturus dominus ipse quando venerit.

Bucerus ad me dedit literas, quas iussit fratribus communicandas, que preter caetera haec habent Saxoniam Confessionem cum apologia eiusdem. Meo et Blaureri consilio urbes nostrae approbarunt, quamvis apologia habeat corporaliter et substantialiter. Oportet haec ferre quod Lutherani in hoc articulo sunt infirmi, in aliis nobis longe superiores. Etiam cum aliis multis, que res quantum nos omnes terruerit, nemo dicere poterit. Actum est de evangelio apud nos. Si ad hanc palinodiam nostri predicatorum, si accomodare voluerint, non possum hac de re ad te scribere plura propter affectus quibus adhuc teneor. Intelliges omnia ex fratribus; inconstantia nostra nos perdet, presertim si duces verbi fluctuare volent. Haedionem, quaeso, salutare velis et ei gratias agere quod me libris suis dignari voluerit. Eos nondum habeo. Puto bibliopolam illum decoxisse multa et urbem ingredi non ausum, sed expiscabor singula: quod Otherus Eslingam se contulerit, multum offendit prefectos S. Udalrichi; varia hac de re coniciunt. Oporteret in hoc seculo, precipue quantum ad religionem attinet, diligenter circumspicere ne ansam calumniae preberemus. Male nobis erit si non habebimus huius ecclesiae parrochum priusquam Theobaldus abeat. Si Bucerus ad vos rediit, saluta eum et dic ut talem concordiam impetret que non sit causa maioris dissidii. Vale et saluta fratres cum uxore. Augustae. XIII Maii anno MDXXXII.

Geryon tuus.

[Address]: Ornatissimo viro, Wolffgango Fabricio Capitoni, domino et fratri in Christo observandissimo.